



injurias non tantum patienter ferre nos jubet, sed & quò animum ab omni vindicta alienum ostendamus, vult, ut, postquam neque blandis neque ad severitatem compositis verbis, nec querela aut fuga aliquid proficere potuimus, potius ad ferendam novam injuriam nos componamus, atque obvertamus alteram quasi maxillam feriendam, quàm par pari repondamus. Cæterum quidam Interpretes causam reddere conantur, cur dextræ potius maxillæ quàm sinistræ h.l. fiat mentio, cum tamen sinistra ictui magis exposita sit. Putant nempe, atrociolem injuriam notari percussione dextræ, utpote in quam ictus aversus, ideoque magis contemptibilis dirigatur, vid. *Cornel. Fansen. Comment. in b.l.p. 47.* Sed hoc nimis argutum esse videtur, & nulla hîc emphasis aut vis est *in dextra*, nisi quod sequatur consuetudinem loquendi, non cædendi. Ferientis enim impetus, ut dictum, in sinistram potius fertur. Unde & in loco parallelo *Luc. VI, 29.* h.m. recensetur istud præceptum: *Qui te percutit in maxillam, utravis fuerit, præbe ei & alterã.*

§. IX. Hactenus de sensu Verborum *Matth. V, 38. 39.* stricta brevitate actum est, ostensumque, Christianum à *Retaliandis injuriis* alienum esse debere. Ut verò hæc doctrina clarius adhuc exponatur, utile erit, occurrentes hac occasione dubitationes & casus sequentibus includere quæstionibus, atque expedire. *Prima* itaque *Quæstio* esto: *Quomodo illud: NE OB-*

B 2

NE-

*Cur dextra
potius ma-
xilla quàm
sinistra fiat
mentio?*

*Malo non
obstare, &
tamen suos
tueri, quo-
modo simul
consistere
possint?*